

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM,
die Iouis XXVII. Martij

M. ANTONIO MORAND,
DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An ſomnus viſceribus vigiliâ jucundior?

I.

QVI Cœlum ad volubilitatem rotundauit, cum hac indole & hoc condimento res effecit vt nihil eſſe voluerit in opere naturæ cujus aliquæ vices deſiderarentur; hinc perſuaſum alternatim ceſſare arua, & hoc ſi patiantur ruris ſpatia, fructuoſum. Hinc labor qui optimos quoſque citat, ad quietem eoſdem reuocat, vnde manat multiplex varietas & commutatio ad actionis ſuauitatem; proptereáque ſomnus qui perfugium eſt omnium laborum & ſolicitudinum communi ex præſcripto, affecta vigiliis corpora recreat, quî per eum mens & corpus bene placidéque conquieſcant.

II.

SOMNVS circunſcribitur ceſſatio ſenſus principis & communis exterorumque ſenſuum ad ſalutem anima-

lium; quemadmodum vigilia decernitur quoties ipse ille liber est & solutus, adeout parata & prompta sit extemplo virtus animalis quæ induat imposita munia: & ne lateat in occulto verum, alternis omnia quæ vigilant dormiunt, extremis vicissim vnâ in eodémque loco conclusis; tantúmque fructum vtilitatis præbent dissociata ista, vt his perfectissimorum animalium vita contineatur: proindéque exulatum abeant qui Libycam gentem Atlantes, ceu Neptuniis in Ægis degentes nullo premi somno fabulantur, nec tutiùs illi cautiúsque agunt qui plantas vinculisque coërcitos fœtus tenellulos consopiri, proferunt in solem.

III.

EFFINGATVR somnus mortis exemplar atque speculum, vita ipsa vigilia sit breuissimi quantumuis temporis, turpiter & nequiter faciat qui semisomnis jacet, vel dum media dies coquente desuper sole feruet ardentiùs, & hoc sit pluribus antelucanum; nec ante multi diducant oculos hesternâ graues crapulâ quam appetere nox cœperit vt miserrima miseria nefandóque scelere officia lucis noctisque peruertantur, tenebris noctium dimidiæ parti vitæ cujusque gaudia auferentibus; quia tamen ea quæ sentiunt aluntur necessario, & vis quæ nutrit gnauiter munus suum obit expeditiusque opus exercet nobis consopitis quam vigilantibus, somnus cui salutem debemus omnem primario loco sit & sedeat in puppi non renuimus.

IV.

SAPIVNT illi pleno pectore qui corporis opes in visceribus condunt, omnémque propterea curam & diligentiam in iis partibus tuendis conseruandisque adhibent, quod omnes assequuntur facile, quieti quoties corpus datur, tunc enim sopore placantur artus languidi, virtusque naturalis viuacior, in momenta vegetiorem acriorémque se præbet, vt agendo magis quam desidendo reficiatur ignis adinstar, sicque perficitur coctio intus & in ambitu, alimen-

tumque corporis ſubſtantiæ noſtræ quodammodo ſimile, quia jucundum & dulce, in eam tandem faceſſit atque conuertitur quam tum alit, tum auget, ea tamen lege vti per id temporis quoniam ſuſcitatur ſuauis, corpulentus & copioſus vapor in cerebrum, ſenſus princeps indicibus oculis, poſſit obligari.

V.

QVAMVIS eſus & potus ita ſint de naturæ ſortibus vt in iis plurima ſomni paratura ſit, non propterea funditus aut contumaciter repudium renuntiabitur longiori vigiliæ, labori, defatigationi, deurenti frigori, æſtui, balneo, leni aquarum ſuſurro, tenebris, curis grauioribus, lectiori quæ tædio ſit, amœniori ſono vel minus eleganti, ſilentio, repreſſæ cogitationi, ſolitudini, edicunt enim etiam iſta ceſſationem motus & ſenſus, non tamen omnifariam, vt ſicuti vigilia non conſentit cum irrequieto motu, intentóque ſenſu, ſed veloci, ſoluto & expedito, ita nec ſomnus cum omnium munerum vacatione (hujus rei teſtes & conſcij ſint ſomnambuli) vel perpetua; cumque nulla queat anima ſufficere tot operibus, aut animal juges inire vigilias, per quas vis ſpirituum ingens effunditur ſomnus recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, inclinatis miſerorum mortalium rebus, citus interueniat neceſſe eſt.

Ergo ſomnus viſceribus vigiliâ jucundior.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS DE LAVAL, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LIX.

cette these se trouve dans le recueil in folio tome VII th. 1097.